



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Antonii Avgvstini Archiepiscopi Tarraconensis Dialogorum Libri Duo de emendatione Gratiani

Agustín, Antonio

Parisiis, 1672

[Text]

urn:nbn:de:hbz:466:1-10634



ILLVSTRISSIMI VIRI
 PETRI DE MARCA
 ARCHIEPISCOPI
 PARISIENSIS
 INTERPRETATIO CAPITIS

Clericus 3. q. 4.

I. **Q**VÆRUNT anxie viri eruditi quid significare velit Stephanus à Gratiano relatus cap. *Clericus. 3. q. 4.* cum statuit Clericum qui Episcopo suo insidiatus fuerit, à gradu removeri debere & curiæ tradi servitutum. Quidam corpus curialium intelligunt, cui Clericus vilia ministeria obiturus addicatur. Quidam verò forum & curiam secularium iudicium, quorum sententia debitam pœnam suscipiat; quemadmodum in eadem specie Clerici suo Episcopo insidias molientis decrevit Pius Papa apud Gratianum cap. *Si quis sacerdotum, 11. q. 1.* Posteriores

Pontifices, horum decretorum verbis utentes, Cléricum tradi curiæ sic interpretati sunt ut de iudicibus publicis & eorum curia, non autem de corpore curialium, intelligant. Sed non adimunt scrupulum quem verba Stephani injiciunt, qui tradi curiæ servituum decernit. Quæ servitia, ut collegio curialium competere possint, aliena tamen videntur à magistratibus publicis; quorum apparitio & obsequium non videtur pœnæ loco censi posse, cum decus potiùs quàm vilitatem & infamiam ministrantibus addat.

I I. Attamen fatendum est veram esse quam Pontifices secuti sunt curiæ interpretationem: qui juris antiqui vestigia apud solos decretorum ex Isidoriana collectione petitorum confarcinatores cum legissent, iis verbis usi sunt quæ à veteribus Romanæ sedis summis sacerdotibus profecta arbitrabantur, cum tamen earum epistolarum interpolatori tribuenda sint; sive is Hispanus fuerit, sive Riculfo ipse Moguntinus, qui primus in Galliis hanc collectionem, à se ex Hispaniis advectam, temporibus Caroli Magni publicavit, teste Hincmaro. Illa verò paulatim in auctoritatem recepta in Capitularium libris, deinde à Nicolao primo vehementer asserta, in iudiciis tandem usurpata est, & à Burchardo, Ivone, Anselmo, atque demum à Gratiano in suis collectionibus laudata.

I I I. Enimvero licet huic locutioni vetustatem octo seculis superiorem non demus, rem ipsam in veteris Ecclesiæ disciplina re-

ceptam inveniemus. Quod ut apertius atque uberius explicari posset, de Clericorum foro disputandum esset nobis juxta veterum canonum sensum. Sed materia isthæc cum alterius sit instituti, illud unum observandum relinquit quod ad istius articuli disputationem omitti non potest.

IV. Clerici dupliciter inspici possunt, vel quatenus divinis ministeriis inserviunt, vel quatenus sunt reipublicæ cives. Sub priorè illa inspectione, cum functio & ministerium illorum ex sola Christi Domini institutione pendeat, jure divino immunes sunt à magistratuum publicorum cognitione, qui rationem ab iis exigere non possunt neglecti vel malè gesti ministerij ecclesiastici. Quatenus verò sunt cives, ex divi Pauli effato Regum imperio & jurisdictioni publicorum judicum subditi sunt. *Omnia anima*, inquit Apostolus, *potestatibus sublimioribus subdita sit.* Qua peremptoria voce omnes homines complexus est, dempto nemine, sive sit Apostolus, sive Propheta, sive Episcopus, Clericus, aut monachus, ut adnotavit Chrysostomus in commentariis hujus loci.

V. Enimvero licet hæc ita se habeant summo jure, ex indulgentia Principum deinde Clerici consecuti sunt ut immunes essent à magistratuum publicorum cognitione. Quæ quidem immunitas Ecclesiæ concessa, & synodorum Pontificumque decretis recepta, atque censuris roborata, in totum rescindi non potest contrariis Principum constitutio-

nibus; quippe quæ jus quæsitum & tam longa consuetudine firmatum tollere non debeant, nec reipublicæ tranquillitatem, quæ his moribus fovetur, lædere, ut eleganter docet Covarruvias, qui Clericorum immunitatem refert, non ad jus divinum, sed ad Principum privilegia, quæ hodie immutari non possint.

V I. Ex duplici illa quam posuimus Clericorum inspectione orta est antiqua illa, quam præfert canon septimus synodi Constantino-politanæ & Iustiniani Novella, criminum à Clericis admissorum distinctio, ut alia sint ecclesiastica, alia verò civilia; quorum discrimen explicat Theodorus Balsamo. Prioris generis erunt, non solùm hæresis & schisma, quibus laïci quoque implicari possunt, sed quæcunque peccata in regulas clero præscriptas; ut de subintroductis mulieribus, de ordinationibus perperam vel etiam ob pecunias celebratis, & de similibus causis.

V I I. Crimina civilia, sive secularia, sunt illa quæ legum publicarum animadversioni subjiciuntur, utpote quæ reipublicæ quietem & societatem violant. Ea sunt varij generis, delicta privata, & crimina publica. Quod discrimen secuti sunt Imperatores Romani, cum benigniùs in Clericos agere cœperunt. Vnde in Codice Theodosiano controversiæ quæ ad religionem pertinent, in quibus sunt crimina ecclesiastica & minora Clericorum delicta, scilicet è civilium numero, Episcopis & cujusque diœceseos sive provinciæ synodis

modis discutienda relinquuntur. Minora inquam delicta, servata judiciis publicis atrocium criminum, quæ numero quinque, adversus Clericos cognitione; ut docent leges aliquot editæ cura Sirmondi in Appendice Codicis Theodosiani.

VIII. Quæ quidem criminum exceptio de Clericis secundi & inferioris gradus, id est, à Presbyteris usque ad ultimum gradum intelligenda sunt. Nam sacerdotes primi gradus, id est, Episcopi, à publicorum judiciorum cognitione immunes semper fuerunt apud Principes Christianos. Quibus prævit vox illa Constantini in Nicæna synodo, qua conquerentium ad invicem Episcoporum libellos sibi oblatos, ut de iis cognosceret, cum repulisset, adjunxit: *Vos dii estis. Conveniens non est ut homo dijudicet deos.* Quod Ruffinus & alij magnificis verbis retulere. Sed ad reliquos Clericos verba Constantini trahi non possunt. Hinc petitum Valentini senioris rescriptum, cujus meminit Ambrosius & epistola synodica Concilij Romani pro Damaso, quo jussit ut sacerdotes solide sacerdotibus, id est, Episcopi de Episcopis, judicarent.

IX. Quæ prærogativa Episcoporum nequidem à Justiniano, qui Novella sua crimina ceterorum Clericorum atrociora suis judicibus reliquit, ullo pacto imminuta est. Vnde factum ut nec in prima nec in secunda neque in tertia Regum nostrorum dynastia, si facinus adversus Leodegarium excipias,

nec etiam vigente Gothorum in Hispaniis dominatu, Reges in Episcopos, etiam læsæ majestatis reos, lege animadvertere tentaverint ante synodorum judicium, quibus hanc jurisdictionem non adimebant; ut docent annales & acta Conciliorum. Adeo ut hac quoque tempestate, in qua reliquorum è clero privilegia non adeo vigent, nihil sibi licere in Episcopos majestatis reos pietas Regis Christianissimi passâ sit, impetrata nuper à Summo Pontifice, juxta recentioris moris formam, delegatione aliquot Episcoporum, qui judicio ecclesiastico de causâ decernerent.

X. Ceterùm olim, ut dixi, quinque crimina reservata erant animadversioni judicum publicorum adversus Clericos. Vnde factum ut in Matisconensi Concilio tria crimina foro seculari reservata fuerint. Hincque sumpsit originem casuum privilegiatorum cognitio. Attamen antiqua illa criminum exceptio non impediabat quin Clerici de moribus apud Episcopos conventi, judicio ecclesiastico pro qualitate & punitione delicti puniri possent. Idque factum ex Pauli auctoritate, qui monet Timotheum ut sub duorum aut trium testimonio, Presbyterorum causas discutiât. Quare antiquis canonibus, ob crimina publica, canonica pœna Clericis convictis irrogatur. Sed censura ecclesiastica, cum admonitione aut suspensione ministerij sola vel ad summum depositione constaret, aut si atrocissimum esset flagitium, ex-

communicatione vel anathemate, & reipublice tranquillitas gravius animadverti exposceret, depositus sententia Episcopi sui Clericus ad iudices publicos transmittetur, pœna legitima plectendus, si de aliquo ex quinque illis criminibus impetitus esset; cum nulla ratio pati posset ut depositus ob crimen canonicum, vel ob minus delictum civile, contra mentem legis nova pœna opprimeretur.

XI. Singulare usus istius habetur exemplum in actis Concilij Chalcedonensis actione x. in qua relecta sunt gesta synodi Tyriæ habitæ in causa Ibæ Edeffeni Episcopi. Samuel & alij Presbyteri Ecclesiæ Edeffensæ libello accusabant Episcopum suum inter cetera capita hoc quoque objicientes, quod Abraamium Diaconum, de maleficio magico accusatum, & de se præsentem clero & Episcopo confessum, omnium votis excommunicatione confossum, nulla dein prævia satisfactione, Episcopum ordinare destinasset, impeditus ne perficeret sola Archidiaconi refragantis intercessione. Mox ista verba subiungunt, quæ tritiram fori utriusque docent: *Et retinet chartam magicarum incantationum reverendus noster Episcopus, qui debuit iudici provincia hunc, qui ita execrabilis est, offerre, secundum consequentiam legum.* Eas intelligit leges Principum quæ sunt editæ in Appendice Codicis Theodosiani superius laudata.

XII. Si iudicium inceptum esset apud

O o ij

Episcopum , quia fortasse accusator erat è clero , qui ad judicia publica Clericum evocare nulla in causa poterat juxta Concilij Carthaginensis & Chalcedonensis disertos canones , vel etiam laicus , qui adversùs Clericum crimen intendere poterat , suam suorumve injuriam persequens , tunc , post latam sententiam , Episcopis incumberebat ex officio ut reum atrocioris criminis judiciis publicis offerrent. Quod diu perduravit cum magna utriusque fori concordia , donec vetita est in universum , variis Pontificum decretis , judiciis secularibus adversùs Clericos judiciaria cognitio , cujusvis criminis prætextu. Tunc arbitrij sui fecerunt ob quæ crimina Clerici , judicio ecclesiastico depositi semel , ad graviores pœnam infligendam ad judices seculares transmitterent. Hoc est quod in decretis Pij & Stephani dicitur , curiæ tradi Clericos convictos , scilicet ut puniantur ; quemadmodum disertè observat Pius , *ut accipiat quod iniquè gessit*. Cui sententiæ non est contrarium quod ait Stephanus , ut Clericus depositus , curiæ tradatur serviturus. Quippe non significat ut ad vilia ministeria in curia obeunda damnetur. Nulla enim istius generis pœna ullibi occurrit. Retrahebantur quidem in curiam , etiam post presbyteratus ordinem , quicumque è curialibus , quò se muneribus & functionibus publicis seu personalibus seu realibus subtraherent , in clerum adsciscebantur , ut docet Innocentius primus in Decretis , con-

ditionem priorem & nexum curialium subituri. Sed ista non pertinent ad pœnam ob crimen aliquod inflictam.

XIII. Dicendum ergo, ut hic nodus expediatur, traditum curiæ Clericum, ut in illum à iudicibus animadverteretur, eo tamen animo ut capitis minutione maxima, id est, servitute tantum, non autem ut capite, plecteretur; scilicet ut libertate adempta per iudicis sententiam, servituti perpetuæ addiceretur. Solebant Episcopi pro damnatis in iudicio publico veniam petere à Præsilibus provinciarum, quò, pœna aut penitus remissa aut in leviolem mutata, damnati locum haberent agendæ de facinoribus suis apud Deum pœnitentiæ; ita tamen ut sicut Episcopis libera erat deprecatio, iudicibus quoque, si utilitas publica sic posceret, libera esset repulsa; quemadmodum docet Augustinus in epistola ad Marcellinum Comitem. Quare si solenne Episcopis erat pro quibuscunque damnatis intercedere, culpæ non mediocris rei fuissent si depositis à se Clericis suffragati non essent, quando eos, ex ordine legum, iudicibus tradebant, mitiorem pœnam illis infligi postulantes.

XIV. Porro pœna servitutis ob crimen admissum inducta erat à Concilio Aurelianensi & ejus exemplo à Conciliis Tolentanis. Vnde factum ut auctor epistolæ Stephani ejus meminerit. Deportati & damnati in metalla amittunt quidem libertatem; sed servituti adjuncta est pœna deportationis,

cujus fiunt servi. In specie autem Concilij Aurelianensis, raptor, si ad Ecclesiam confugerit, restituitur; serviendi tamen conditioni obnoxius, facultate concessa sese pecunia redimendi, quæ sine dubio in læsi patris commodum cedebat.

XV. Ceterum sola Clerici depositio ob crimen exceptum inflictæ sufficiebat ut locus esset iudicio publico absque ulla canonice immunitatis injuria. Non inutiliter addi inflictam depositionem ob crimen exceptum; quoniam ex alio quoque capite depositio irrogari potest, puta ob crimen ecclesiasticum. Quo casu nefas esset damnatum semel, de integro novis pœnis opprimere, iudicio seculari.

XVI. Enimvero ut manifestius hæc materia aperiatur, inspiciendum est an ex sola depositione Clerici damnati redeant ad forum seculare. In qua controversia configunt ad invicem Ioannes & Bernardus Decreti Glossatores. Sed divisione eam dirimendam puto; adeo ut non sola pœna inspicienda sit, sed etiam illius causa: quæ si fuerit gravior, sive ob crimen civile, sive ob crimen ecclesiasticum, depositum non solum à gradu removebit, sed etiam à clero. Hujus pœnæ exemplum petetur, in crimine ecclesiastico, ex Decreto Siricij relato apud Gratianum cap. *Quisquis*. Dist. 84. *Quisquis Clericus, inquit, aut viduam aut certè secundam conjugem duxerit, omni ecclesiastica dignitatis privilegio nudetur, laica sibi tantum communi-*

ne concessa. Quæ laïca communio significat Clericum non solum è confessu cleri extra cancellos depulsum & redactum in locum & ordinem laïcorum ad communicandum synaxi, sed deturbatum omnino à corpore cleri & ad laïcam conditionem detrusum; ita ut seposito privilegio quod antea illi compete-
bat, nunc pertineat ad forum seculare in causa civili & criminali. in quo distinguitur hæc communio laïca à peregrina; cum ista retineat Clericum in ordine cleri, (etsi gradu confessus & sportulis ordinariis multatum, præter alimenta) laïca verò eum ab illo ordine depellat. Si autem depositio inferatur ob negligentiam in obeundo ministerio ecclesiastico, ex ea causa depositus jurisdictioni ecclesiasticæ subditur, ita ut ob delicta subsequente synodi iudicio ad agendam pœnitentiam in monasterium detrudatur; ut definit Concilium Cabilonense relatam in cap. *Dictum.* Dist. 81.

XVII. Hujus disputationis occasio tollebat definitionibus synodorum subsequente, quæ Clericos ob crimen capitale damnatos & ad laïcam communionem redactos in monasterium detrudi in perpetuum jubebant, agendæ pœnitentiæ severioris causa, ut in Conciliis Agathensi & Epaunensi. Quam formam secuta est synodus Aurelianiensis tertia can. VII. erga Clericum adulterij convictum. Earum exemplo Toletana quarta can. XXVIII. simili detrusione plectit Episcopum, Presbyterum, Diaconum, &

Oo iiij

Clericum, qui magos & ariolos consuluerit, & simoniacè ordinatos Concilium Toletanum octavum can. 3.

XVIII. Postquam mos iste desivit de-
trudendi Clericos in monasteria, ut pœni-
tentiam agerent, in illa quoque secunda spe-
cie, quam proposuimus, de Clerico degra-
dato, etiam ob crimen ecclesiasticum, dis-
ceptatum fuit in Anglia quingentis abhinc
annis. Regij ministri degradatum Clericum
ex quacunque causa foro suo asserbant.
Thomas verò Archiepiscopus Cantuarien-
sis contendebat ex sola depositione non amit-
ti privilegium clericale; sed si depositus in
crimen incideret, tunc ob impœnitentiam
subdi foro seculari.

XIX. Satiùs fuisset, ut dixi, disputatio-
nem ex superiori distinctione dirimere, quæ
adhibenda quoque est in altera quæstione,
an ex sola depositione consequatur damna-
tum tradi curiæ seculari. Depositus quippe
ob crimen ecclesiasticum alia pœna plecti
non debet. Qui autem ob crimen atrox de-
gradatur, eo ipso legibus publicis permitti-
tur; ut superiùs dixi. Quæ fuit sententia ali-
quot Pontificum qui Innocentium præcesse-
runt, ut ipse fatetur in cap. *Novimus*. de ver-
bor. signific. *Quorundam est opinio à pluri-
bus approbata, inquit, ut Clericus qui propter
hoc (id est, falsi in litteris apostolicis) vel
aliud flagitium grave non solum damnabile
sed damnosum fuerit degradatus, tanquam
exutus privilegio clericali, seculari foro per*

consequentiam applicetur. Quod ille jus immutavit, decernens ut solennis degradatio Clerici antea fiat, atque pronuntietur iudici seculari, quatenus degradatum in suum forum recipiat; eo temperamento adjecto, ut Ecclesia pro eo efficaciter intercedat, ad leniendam pœnam, citra mortis periculum. In qua intercessione nihil est novi, cum frequens esset apud veteres, etiam in gratiam laicorum. Novum jus in eo versatur, quod præter depositionem & solennia degradationis pronuntiandum sit specialiter de traditione faciendâ curiæ. Quæ definitio videtur profecta ex eo quod Alexander III. in cap. *At si Clerici.* De iudiciis. docuit quemlibet depositum pro suis excessibus non esse tradendum iudici seculari, ne duplici contritione coneratur. Unde sequitur causæ cognitionem adhibendam, an flagitij ea sit gravitas ut traditionem illam extorqueat.

XX. Ceterùm Celestinus III. tot adhibet cautiones ut vix locus esse possit huic traditioni, nisi quis malo genio natus omnem exuerit humanitatis sensum. Statuit enim ut depositio præcedat ob præteritum crimen. Deinde verò, ut incorrigibilis appareat Clericus, novis criminibus admissis, quæ plectenda sunt excommunicatione. Si recentioribus se facinoribus implicet, feriendus anathemate. Demum si contempta Ecclesiæ auctoritate in profundum malorum devenerit, tunc tradendus est seculari potestati, ut eum comprimat. cap. *Cum nobis ab homine.* De iudiciis.

XXI. Qui progressus tamen servandus non est si crimen ex suo genere sit atrocissimum. Tunc enim interest reipublicæ Christianæ ut monstra illa scelerum ultore ferro extinguantur. Statim ergo à degradatione celebrata pronuntiare debet iudex tradendum esse reum curiæ seculari, ut adversus falsarios literarum apostolicarum constituit Innocentius III. in Concilio Lateranensi, cap. *Ad falsarios*. De judiciis. & in eodem Concilio adversus hæreticos, cap. *Excommunicamus*. §. I. De hæreticis. Quod in criminibus majestatis, assassiniæ, ac in ceteris hujusmodi atrocioribus locum quoque habet; ut docent Pragmatici, & nos antiquæ disciplinæ congruere jam docuimus.

